



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

70. Cap. Quo insuper modo animas lucrari possimus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

CAPVT LXX.

Quo insuper modo animas lucrari possimus.

AD animarum lucrum non parùm conducit, per se, vel per eum, qui nobis à confessionibus est, aliosque probatæ vitæ homines distribuere libellos, quos censemus idoneos, ut aliorum animis Dei timorem infundant.

Plurimum hac ratione promeremur, omniumque fructuum, qui ubivis inde proveniunt, participes reddimur; idque tot annorum spatio, quot illi per manus vagantur: quemadmodum omnium malorum, quæ per impuros, hereticosve libros committuntur, esse rei, si ad illos dispendiendos operam nostram contulissetimus.

Hec profectò veritas attentâ consideratione digna est. Multos obcecat avaritia: proprium emolumentum præ Dei gloriâ cordi habent.

Prodigi sunt, ut corpus exornent splendidis vestibus, quæ non nisi vanitate oculos perstringunt, & ad peccandum allaciunt. tenacissimi autem sunt in allaborando, ut animæ pretiosissimo divinæ gratiæ indumento exornentur. Ingen-

Ingentes faciunt sumptus, ut desiderijs suis obsequantur, ut lauta instruant convivivia ad luxum, magnificentiam, vanamque gloriam; sed nihil prorsus erogant in emolumentum animarum, quæ defectu salutaris alimenti languent, & contabescunt: atque ita eheu! ad Dei gloriam propagandam, toti intepescimus.

Paucis nummis multas lucrari possemus animas; sed hi reperiri nequeunt, ubi sæpè hæretici, alijque nefarij ingentem potuerunt corradere pecuniæ vim, ut resectos falsis pravisque dogmatibus libros, non sine plurimarum animarum pernicie, in vulgus spargerent: concipi non potest, quam gravis hac ratione universæ Ecclesiæ inuratur infamia.

Accedit, questû animarû nos facere posse, vicos urbesque percurfando, atque ignorantibus, qui ibidem degunt, docendo, quæ ad salutem sunt necessaria. Hunc in finem Apostoli mille inter pericula orbem peragrarunt; sed quis horum insistit vestigijs?

Multos quidem invenire est, qui in remotas oras diû noctûque veloci cursu contendunt, ut honorificum munus, amplumque aliquod lucrum adipiscantur, sed paucissimi sunt, qui in animarum emolumentum ejusmodi iter aggrediuntur.

Milites

Milites conscribuntur, exercitus constantur, bona oppignerantur, quin & ipsa vita in discrimen adducitur, expugnandæ alicujus urbis causâ, ut terreni cujusdam regis imperium stabiliatur, utque is summam rerum ibidem administret.

Verùm, ut Deus Rex Regum in regionibus, tibi ejus gloria pessum datur, & jugum ejus excutitur, innumeris animabus impetret, vix pedem movemus, aut nummum erogamus in alimentum Apostolicorum virorum, qui diù noctûque, per mille vitæ pericula, in sudore vultus, ibidem laborant.

Cadit asinus, inquit S. Bernardus, & invenit qui se sublevar; cadit anima, & non est qui manum apponat. Quid eheu! ô Christiani decidistis?

Nullus labor, nullus dolor, nullus sumptus nimius est, ut in Cælum transferatur anima, quam Dei Filius pretiosissimo suo sanguine in spem salutis asseruit.

CAPVT LXXI.

Orandum est, ut Dei nomen Sanctificetur.

Christus orandi præceptis nos erudiens, docet ante omnia ab æterno Patre postulandam ejus nominis Sanctificationem,